

## **Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiæ Romanæ**

**Plettenberg, Hunold**

**Hildesii, 1693**

Cap. VII. De Signatura gratiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

## C A P U T VII.

## De Signatura Gratia.

1. A Papa petuntur, quæ sunt gratiæ & justiæ.
2. Ideo instituta est signatura gratiæ & signatura justiæ.
3. Pro signatura gratiæ instituta est Congregatio. Quis illius caput sit, & quæ membra.
4. Aliqui Officiales simul ac officium suum ad eunt, spectant ad signaturam, Quod eorum officium?
5. Qui præterea accedant ad Signaturam gratiæ.
6. Quando, & ubi habeatur Congregatio.
7. Confessus in Congregatione.
8. Quo habitu in ea compareant Cardinales.
9. Et reliqui Prælati.
10. Referendarii proponunt causas.
11. Quas decernit Pontifex.
12. Auditis interdum Prælatis votantibus.
13. Aliquando Cardinales, & Prælati aliquid interponunt.
14. Quot & quales causæ in singulis Contibus proponantur.
15. Quæ referantur ad hanc Signaturam.
16. Semel rejecta hic iterato non proponuntur.
17. Præest Signaturæ gratiæ post Pontificum Cardinalis aliquis.

I, Præte

I.

**P**ræter ea, quæ ad forum internum, & conscientiæ spectant, pro quibus ex Sacra Pœnitentiaria remedium quæritur, postulantur sæpiissimè à Summis Pontificibus alia Rescripta, tam de his, quæ à mera illorum liberalitate promanant, ut sunt Beneficiorum, aliarumque gratiarum concessiones, quam de illis, quæ justitiam concernunt.

2. Quapropter instituta sunt auctoritate Pontificiâ duo Auditoria, quorum alterum Signatura Gratiæ dicitur, in qua gratiæ petuntur & conceduntur, alterum Signatura Justitiæ appellatur, in qua contentiosa, quæ ad justitiam administrandam spectant, expediuntur.

3. Pro signatura Gratiæ instituta est Congregatio à Sixto V. *Const. 74. Immensa*, cui ipse Pontifex Romanus præsideret, & membra illius sunt: Major Pœnitentiarius, Præfectus Signaturæ Justitiæ, Datarius, si fuerit Cardinalis, Cardinalis Vicarius, aliquique Purpuratus, quot Pontifex pro libitu suo determinaverit; pauciores tamen nunc esse non solent, quam duodecim. Præter hos sunt etiam duodecim Prælati, qui suffragium ferunt, & votantes dicuntur, suntque iidem, qui votum habent

in

in signatura justitiæ, de quibus capite se-  
quenti plura dicentur.

4. Pænitentiarius, Præfecti Signatu-  
ræ gratiæ, Brevium & justitiæ, atque  
etiam Datarius simul ac præfecturas il-  
IAS & officia adepti sunt, in ipsam quo-  
que Signaturam adnumerati censentur.  
Munus illorum est, omnes Signaturam  
illam quavis de causa adeuntes, beni-  
gne audire, porrectos libellos supplices  
excipere, & cum hi oblati sunt Pontifi-  
ci, opportuno consilio eidem assistere,  
suamque sententiam sincere, etiam non  
rogati ex conscientia dicere.

5. Accedunt quoque ad hanc Signa-  
turam Auditor Cameræ, ejusque Vi-  
carius in cœribus, Thesaurarius Gene-  
ralis, unus Auditor Rotæ, Cardina-  
lis Vicarii Substitutus in cœribus, Pro-  
tonotarius participans, unus Clericus  
Cameræ, unus Abbreviator Præiden-  
tiæ majoris, & Regens Cancellariæ,  
non ut ferant suffragium, sed ut quis-  
que tueatur jurisdictionem officii sui.

6. Habetur hæc Congregatio bis in  
mense, Feria tertia, tempore matuti-  
no in aula aliqua interiore Palatii Apo-  
stolici; Ideoque indicitur die Dominico,  
ut die Lunæ intermedio informari possint  
Prælati votantes, atque etiam ipse Pon-  
tifex

tisex, qui proinde in aulâ consuetâ audi-  
entiae audit Advocatos & Procurato-  
res genuflexos cum omni libertate infor-  
mantes, sicuti informari solent alii Ju-  
dices.

7. Papa sedet in Congregatione ad mensâ, in qua collocata sunt omnia ad scribendū & subscrivendū requisita. Assident ei hinc inde Cardinales in hanc Congregationem adlecti in Scabellis capite coperto, ut in Consistoriis solent, cum hac tamen differentia, quod in iis compareant in habitu magis solemni. nimis cum Cappa super Rochettum.

8. In hac vero Congregatione, prout in aliis quoque, quæ haberi solent coram Pontifice, assistunt cum consueto habitu, quo per urbem utuntur, nimis Rochetto, Mantolotto, & Mozzetta, sine pallio tamen, quod in actibus solum privatis deferunt.

9. Post Cardinales stant detecto capite cum Rochetto, Mantolotto, & Bireto in manibus duodecim Prælati votantes tamquam Consiliarii. Post Papam stant proximiores Auditor Cameræ, & Thesaurarius in habitu quoque Prælatorum, & capite discooperto, quemadmodum & reliqui Prælati præsentes supramemorati.

10. His

10. His in ordine ita consistentibus accedunt tres Prælati simplici Referendarii ad mensam, cui assidet Pontifex eidemque debitâ cum reverentiâ, & submissione proponunt brevibus sermone latino causas sibi commissas referendo facti setiem, Oratoris petitionem, & exceptiones Oppositoris sine propositamen sententiâ, & suffragio.

11. Quibus expositis, vel denegat Pontifex, quod petitur, & rescribit non exquirendo votum aliorum: *Nihil*, vel concedit, & signat supplicationem cum clausulis, quas vult apponi, sive proceditur ad propositionem alterius commissionis.

12. Si vero placuerit Pontifici aude re suffragia Prælatorum votantium primo loco suum profert Ponens, qui commissionem proposuit, deinde duo decim Votantes sermone latino & lacione. Numeratis votis, in arbitrio Papæ est majori parti accedere, vel non, aut tunc statim rescribere, aut rescriprum dare per Auditorem Camera cum hæc vota sint merè consultiva.

13. Si qui ex præsentibus Cardinalibus forte sint, qui ex officio, vel nomine sui Tribunalis aliquid interponer

velin

ntibus  
feren-  
ontifex  
ciā, &  
sermo  
efereb  
onem  
propri  
denega  
bit not  
Nihil  
atione  
sicque  
alteriu  
ci aud  
ntium  
ens, qu  
de duo  
& laco  
trio Pa  
el non  
t rescr  
americ  
tiva.  
ardinali  
vel no  
rponen  
veliu

velint, surgunt & detecto capite petitâ prius veniâ Papam alloquuntur. Prælati majori cum reverentiâ, cum res tulerit, idipsum faciunt.

14. In hoc vero Conventu triginta ordinariè proponuntur commissiones, per quemlibet Prælatum decem, quinque super causis contentiosis auditâ & contradicente parte alterâ, & quinque super negotiis gratiolis absque Contradicto.

15. Referuntur vero ad hanc Signaturam gratiæ postulata, quæ alteri possent præjudicium inferre, quæque concedi non solent sine partium vocatione. Revocantur huc etiam res graves, & quæ raro concedi solent; Item dubiæ & perplexæ, ut decerni à Referendariis non possit, sintnè vel non concedendæ, aliaque similia, quæ maturiorrem deliberationem, & plurium vota requirunt.

16. Commissiones vero in Signaturâ Justiciæ rejecta proponi non possunt coram Pontifice in hac Signatura Gratiæ, nisi sciente ipso Pontifice, vel per Signaturam Justiciæ ad hanc remissæ sint. *Paulus IV. Const. 59. Cum nuper Paulus V. Const. 71. Universi §. 1.* Neque iteratò proponuntur ea, quæ in hac Signatura semel

semel rejecta , aut negata sunt , prout fit in Signatura justitiae , nisi consentiente Pontifice , à cuius arbitrio cuncta dependent.

17. Præfest huic Congregationi vel Signaturæ post Pontificem Cardinalis aliquis , qui omnes Supplicationes , & gratias in eâ concessas subsignare solet hoc modo : *Concessum in præsentia Domini Nostri Papæ* , & deinde subscribit Nomen suum.

*Vestrius lib. c. 3. de Luca Rel. Roman. CIV.*  
disc. 30.

## C A P U T VIII.

### De Signatura Justitiae.

1. Quæ referantur ad hanc Signaturam.
2. Quis sit illius Præfectus , & quæ hujus Auctoritas.
3. ubi & quando habeatur hoc Tribunal.
4. Qui ad illud spectent.
5. Prælatorum votantium suffragia sunt articulativa.
6. Litigatores informant Referendarios.
7. Ordo Sessionis in hoc Tribunali , & quomodo causæ in eo proponantur.
8. Contradictor citari solet ad dicendam causam.
9. Deciss